


P O R T V G A L L I Å R E G N V M



.
.
**PORTVGALLIAE REGNI
DESCRIPTIO.**

ORTVGALLIA est unum ex maioribus Hispaniæ Regnis, quæ adiacet mari occiduo extenta in longitudine à Gallætiæ finibus in fines usque Vandaliæ. Hanc nōnulli à Portu Gallorum deducunt, quidam **Portugallia** cur dicatur.

Luerò & rectius à *Cale* portu, qui olim plicationis gratia frequentari solebat, indeq; tanta hominum multitudo cōfluxit, ut in ciuitatem opulentissimam euaserit, & *Portogallo*, quasi portus *Cale* dici cepit; inde uero totum Regnum nomen obtinuisse cōspicitur.

Fines Portugalliae sunt, à Septentrione Gallætiæ Regnum ad Minū am-
nem: ab Occasu, & à Meridie Oceanus Occidentalis: ab Ortu autē Regnum
Castellæ, & Andalusia cū Extremadura. Ambitus huius Regni complectitur
880. milliaria, uel ut alij tradunt 850. longitudo eius est 320. milliarium, &
latitudo 60. Quod quidem Regnum quāmuis nec amplum solo, nec diuitijs
abundans sit, nihilominus ob opportunum ad nauigationes situm ualde præ-
stans est, cuius redditus est singulis annis Hispaniarum Regi duorum millio-
num aureorum.

Præterea Regio ipsa fructus fert perfectiores magis, quàm ulla alia Europæ pars, abiuudat quæ uino, oleo, melle, cera: frumento tamen caret, quod ex Gallia, & Septentrionalibus regionibus nauigatione huc affertur. Iстic etiam sunt mineræ auri, argenti, aluminis, marmoris albi, & iaspidis lapidis tūm albi tūm uarij coloris. Sericum quoque optimum hic colligitur, præsertim in Comitatu Bragantiae opulentissimo, cui tertia ferè Regni pars subdita est, Salem non solum quantum sufficit habet, sed eum quoque alijs locis communicat: pisces marinos profert optimos, præsertim balenas, ad litus maximè Algarbiæ.

Flauij regionem irrigantes sunt *Ana* seu *Guadiana*, *Tagus*, *Mondeguis*, *Duerus*, & *Minius*. Sed *Tagus* fluminis præ ceteris huic regioni conducit, qui ab Orientalibus partibus delapsus recto cursu in Oceanum elabitur, cuius ostia in mari panditur 2050. passuum latitudine: estq; piscium feracissimus, ostreorum præcipue redundans, & qui ob arenas autiferas cæteris huius loci fluminibus maximè præfertur, cui ager bonitate conspicuus adiacet, & huic vicina oppida oppulentissima sunt.

Portus

P O R T U G A L L I A.

Portus duo celebres. Portus huius terræ tractus insignes sunt duo, præter alios mediocres, quorum unus est *Setubal* ab *Vlyxiopona* 20. milliaribus distans, quem *Tagus* efficit, ex quo ad 15. uel 20. millaria per *Tagum* ipsum magnis nauigiis nauigatur: alter est prope urbē, quæ dicitur *Portus*, quem *Duerus* amnis efficit.

Portugallia dimicis. In tres autem partes incliti amnes *Duerus*, & *Tagus* regionem ipsam separant, inter se natura dissimiles. Quarum illa, quæ est inter *Minium* & *Duriū*, persimilis est *Gallætiae* regioni; est enim populosissima, sed parū diues. Pars, quæ est inter *Tagum* & *Minium*, habitatoribus frequentissima etiā est, qui aliquantò sunt opulentiores, suntque in hac parte 470. circiter oppida, & *Castella* murris percincta. At uero pars inter *Tagū* & *Guadianam* intercepta, raras habet habitationes, paucisque gentibus refertas: namque montibus exasperatur, ac sterilescit.

Algarbiæ Regnum. Complectitur sub hoc Portugalliae Regno **ALGARBIÆ** quoque **R E G N V M**, quod ad Austrum ipsius regionis situm est, hoc autē minus celebre est, quam ullus ex alijs Hispaniæ Regnis, seu prouinciis. In hanc Algarbiæ regionem *Ana* fluuio ex superioribus Hispaniæ partibus secundo amne uina aduehuntur Hispanica, uulgò *Siccum*, *Bastardum*, & *Romania* dicta, & portus huius regionis reddeunt oleum, suber, *ficus*, *uinum*, *uinas* passulas, aliasq; fructus, ac pisces ingenti copia, quibus omnibus naves onerantur Belgicæ, & in Belgiam transuehuntur. Est hic promontorium **Sacrum**, quod uulgò *Cabo San Vincenzo* dicitur, in quo tuta est nauium statio.

Portugallenses sunt omnium Hispanorum fortissimi, ueloci, agiles, uer-satiles, prompti, laboris patientissimi: nauigationū peritissimi, & nauali clas-se incliti: potentes, ac gloriosi: ad dominandum, atque ad acquirendum na-ti; & qui uirtute sua quāmplura loca Africae, Asiae, ac Indiarum satis feliciter intra 90. proximè elapsos annos uirtute bellica, ac dexteritate sua acquisie-runt. Namque ad Regnum hoc non tam ipsa Portugallia cum Algarbia per-tinet: uerum etiam ad Portugalliae Regem spectant Insulae *Terzeræ* numero septem, quæ maximè ad nauigationem *Aethiopiæ*, *Indiæ*, ac reliquorum loco-rum; & Insularum Asiae condicunt; deinde Insula *Madera* aliarum Atlantici Oceani Regina; Insula *Portus Sancti*, *Capitis uiridis*, *D.Thomæ* cum circum-uicinis. Præterea Portugallia etiam Rex dominium obtinuit per omnem lit-toralem Africæ ferè partem ad Meridiem expositam, quæ protendit à capi-te *Aguero* usque ad caput *Guardafuni* Regni *Adel* in quo tractu sunt multæ tutissimæ ipsius Arces, quarum præcipua sunt *Cefala*, & *Mozambique*. Est etiā dominus omnium commerciorum & nauigationum Oceani *Aethiopici*, ac *Indici*, nec non etiam quāplurium locorum littoralium Orientalis Indiae, ut sunt *Ormus*, *Diu*, *Goa*, *Malacca*, & aliæ: Ac arcis habet in Regnis *Canonor*, *Cochini*, & *Coulan*, in Insula *Zeilam*, ac alibi etiam. Verum nuper ob summam militum egestatem *Moluccarum* Insularum dominium amisit: imo Regnum ipsum Portugalliae ob tot loca longè acquisita populo nimis infrequens redi-tum est. **MOND A** Regni huius primaria vrbis, & Metropolis est, nunc *Colimbria* dicta; in cuius campis, vt scribit *Theophrastus*, ebor fossile candido & nigro colore inuenitur; vrbis præterea hæc *Gymnasio* decorata est à

Ioan-

Portugallia populo nu-data.

Monda vrbis.

H I S P A N I A.

36

Altera est **E B V S V S**, uulgò *Enisa*, uel *Ieniza* decem mill. ab illa recedens, **Evisa Ins.** & à continente 50. ferè absens, cuius circuitus est plusquam 100. mill. Huius terra serpentes fugat, omniumque animalium nocentium expers est, præter-quām cuniculorum, qui sepius Insulæ messes populantur, cum alioquin **Insula** hæc fructuum omnis generis, & frumenti fecundissima sit. Principa-lis huius Insulæ urbs est *Xnica*. Hic abundè sal colligitur, quo non tantum Hispania, uerum etiam Italia ex parte sibi prouider. Circa has duas Insulas sunt tres aliæ paruæ Insulæ, nempe *Vedran*, *Conirello*, & *Dragomago*. Supra uero Erisam inter Maioricam, & Iberi ostia est *Moncolibre* Insula deserta, & in ipso Iberis ostio *Alfaques* Insula iacet, quam dictus fluuius unà cum ma-re efficit. Postremo non longè à *Cartagena* portu sita est *Herculis* Insula, quæ *Scombraria* vulgò à piscibus huius nominis uocatur, qui numerosissime circa ipsam congregantur.



Comprado em 1895 por 322 913 1800 reis. Venda feita em 2023, a prezzo di 134.500
Iva 13.823 + % = 154.134,50
H 4
Portugal / Magílio, 1596 - Publicado em Lisboa de 1596
de "Geographiae Universae Terra et Terra maris ab alioquin
opere non". Publicado per Giovannem Antolinum Magilio et genere per
Giovannem Portu.